

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 53. b) Protestationis judicialis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

§. 51.

Confectioni plurium de eadem protestatione instrumentorum s. potius plurium exemplorum ejusdem instrumenti nihil omnino obstat. *).

§. 52.

Protestationis instrumentum absque protocollo praemisso confectum ex rationibus generalibus non quidem invalidum puto; maximam tamen utilitatem sine dubio praestat anterior protocolli confectio, cum amisso forsan ipso instrumento aliud vel etiam plura e protocollo restaurari possint. Prudentiae igitur maxime consentanea mihi videtur necessitas istius protocolli legalis, pluribus constitutionibus particularibus iussa **).

§. 53.

b). *Protestationis judicialis.*

Vix adhuc monendum est, posse deficiente notario de protestatione cambiali adiri iudicium atque eandem ad acta registratura, s. uti dicunt protocollo, consignari indeque exemplum describi ***); quanquam etiam istud a quibusdam negatum sit. Attamen nulla certe ratio sufficiens allegari potest, cur judicialis auctoritas notariali minor sit aestimanda? — Cum vero a personis judicialibus

*) cf. *Augsburg, Wechselordn.* v. 1778. cap. 5. §. 1. in UHL. cont. IV. pag. 90.

***) *Augsburg, W. O. I. c.*

***) HEINECC. elem. j. camb. cap. 4. §. 36. et ZIPFEL. ibid. cit. L'ESTOCQ I. c. cap. 4. §. 36. RICCIUS I. c. §. 34. PÜTTMANN §. 112.

bus conficiuntur protestationis instrumenta, omnia hic ex juris communis tenore requiruntur, quae ad quodlibet aliud protocollum, e. g. ut ab actuario ad acta jurato conficiatur *) etc.

§. 54.

Mallet quidem pro mea parte ad protestationem in quibusdam casibus instituendam solam iudicii auctoritatem sufficientem habere; in iis scilicet; ubi non de re in sensu cadente (§. 46.), sed de re ageretur, circa quam soli iudici magistratui in eandem inquirenti, s. ex actis coram se gestis rem jam exploratam habenti, satis constare potest, e. g. debitorem cambii proprii s. trassatum in loco, qui significatus est, non reperiri, eundem mortuum esse, s. etiam bonis excidisse etc. **); id quod iudici modo legali, notario vero non nisi ex rumore s. fama publica, quae quidem maxime sublestae fidei est, notum esse potest.

F 5

S E C -

*) Actuarios iudiciorum in istis locis, ubi desint notarii, speciatim ad protestum conficiendum habiles declarat Ord. camb. PALATINA de an. 1726. art. 21. in corpore SIEGELIANO P. I. pag. 397. Praesertim in iis locis, ubi iudicia mercatorum sunt, horum actuariis protestationis conscriptio conceditur. MYSAEUS WR. §. 120. Solam confectionem iudicalem, notariis exclusis, admittit *Poln. Wechselverordn.* v. 1775. §. 2. n. 3. in UHL. cont. IV. pag. 4. Protestationes iudiciales firmas et iustas esse perhibet, sed actuarii praesentiam remittit *allg. preuss. LR.* P. II. §. 1035. 1036.

**) Habeo quodammodo suffragans jus borussicum (*allg. preuss. LR.* P. II. §. 1206.)

